

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0859
	0857
	0863
286	0853
acquisivit. In tantum etiam facinus invidia Raymundum deduxit, ut Christi fidem abnegaret et circumcisionem susciperet ac ritum Machometi profiteretur, licet occulte.	0868
Anno Domini 1187. Saladinus propter nostrorum discordias vires adeptus congregata infinita suorum regnum sanctum hostiliter invasit et multas terras Christianis abstulit. Cumque rex Guido undique ab infidelibus arctaretur, de principum suorum consilio dominum patriarcham Jerosolymitanum una cum magistro templi et priore hospitalis misit ad principes occidentis, quod illis denuntiarent, in quanta calamitate esset populus christianus in oriente. Hic primum ad regem Francorum Philippum venerunt, cui claves sepulchri dominici et templi et civitatis sanctae detulerunt, (280 A) supplicantes, ut terrae sanctae periturae succurrere dignaretur. Rex ergo piissimus congregatis omnibus praelatis Parisiis concilium celebravit et strenuosissimos milites suis expensis in terram sanctam misit. Interea Saladinus congregata infinita multitudine Turcorum et Sarracenorum ex omni oriente terram Christianorum ingressus Galilaeam provinciam infestabat et Tyberiadem obsidebat. Contra quem rex Jerusalem Guido coadunato magno exercitu progressus est, sed, heu! nostri contriti sunt proditione nequissimi viri, comitis Tripolitani. Nam cum jam congressio facienda esset, comes ille erecto suo vexillo de acie fugit et ordinem nostri exercitus confudit, eumque quique regis Jerusalem inimici et viri dolosi secuti sunt, sicque fit ante fugam et in fuga nostrorum strages horribilis, in quo quidem discrimine Acconensis episcopus, qui ante exercitum Domini crucem dominicam ferebat, graviter vulneratus est, qui mortis sentiens imminere discriminem, cum se super equum non posset erigere, crucem dominicam alteri tradidit, qui eam regi Guidoni portavit. Ad postremum, cum rex usque ad belli finem strenue cum sua cruce dimicasset, undique invadentibus hostibus, suis pro majori parte occisis, et ipse fugere non posset circumdatus inimicis, una cum pretioso ligno vivifcae crucis capit, nec fuit proelium toto tempore Latinorum in oriente, in quo tantus sanguis Christianorum fuit effusus, sicut illo die. Nam eo die totius Christianitatis concidere vires in oriente. Maxime autem Hospitaliariorum	0848
	0908
	0808
	0958
	0758
	0358
	Ende
	Anfang